



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitis Aqvilonia seu Vitæ Sanctorvm Qvi Scandinaviam
Magnam Arctoi Orbis Peninsvlam Ac præsertim Regna
Gothorum Sueonumq[ue] olim rebus gestis illustrarunt**

Vastovius, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.XXIII.

Gerechinus Ord. Cist. C.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38534

GERECHINVS ORDINIS CISTERCIENSIS FLORVIT

ANNO CHRISTI 1345.

CLEMENTE VI. Pontifice.

FRIDERICO III. Imperatore.

ERICO XII. Rege.



BEATVS Gerechinus in ipso ætatis flore spreto mundi huius luxu Aluastrense Monasterium Ordinis Cisterciensis ingressus est, cum tanta benedictionis & dulcedinis gratia præuenit DEVS, ad tantamq; mentis sublimitatem euexit, vt vita eius innocentia sanctitatisque speculum fuerit semper visa. Quadraginta integros annos, nunquam extra Monasterii septa quoquam prodiit; sed diebus ac noctibus orationi deditus hanc gratiam singularem à Deo obtinuerat, vt visus sit orationis tempore quasi continuè nouem choros Angelorum videre, & ad sanctæ eleuationē hostiæ Christum in specie pueri sibi sæpius dicentem audire: *Ego sum filius Dei & filius virginis.* Humilitatis & obedientiæ studiosissimus fuit, cuius in primis illud præclarum specimen edidit. Præceperat ei aliquando Abbas vt pistorio operi deditos adiuuaret, cuius ipse artis cum ignarus esset, venerabundus Deiparam in pariete depictam more solito sic est affatus: Domina mea D. Abbas præcepit vt vna cū pistoribus laborem, tu autem scis me prorlus eius artis rudem esse; verumtamen facere sum paratus quod mihi suggereris. Cui per eandem effigiem Domina respondit: *Fac quod hucusque feceras & ego pro te seruiam in pistrino.* Abijt ille ad locum consuetum orareque perrexit: atque eodem tempore visa est dicto loco ministrasse persona quædam incognita speciē Gerechini præferens quo ipse in Ecclesia defixus in oratione deprehensus fuit. Venerat aliquando ad illud Monasterium D. Brigitta ex contemplatione seruorum Dei spirituales collectura flores; tunc miratus Gerechinus & zelo regulæ incensus hoc intra se verbum cepit volutare; Quid agit ista Domina in claustro

*B. Gerechini
innocentia &
sanctitas.*

*Per 40. annos
pedem extra
canoniam nū-
quam effere-
bat.*

*Orans nouem
Choros An-
gelorum vi-
dit.*

*Christum in
Ecclesia sub
specie pueri.*

*Responsum per
imaginē Dei-
paræ accipit.
Deipara eius
vices in pistorio
opere subit.*

*S. Matrona
miratur in ca-
nonium ingres-
sum.*

H 2 mona-

monachorum? quid regulam nostram suo transgreditur ingressu? & dum ita hæeret perplexus Dominus omnem illi scrupulum tali visione exemit: nimirum orationis tempore extra sepositus: Vidit enim D. Brigittam in sublime elatam & de ore eius flumen egrediens, simulq; hanc vocem diuinitus factam audiuit: *Hæc est mulier quæ à sinibus terra veniens propinabit innumerabilibus gentibus sapientiam: Et hoc erit tibi signum quod ipsa diuinitus edocta dictura est tibi finem vitæ tuæ & exultabis in verbis & adventu eius, & complebitur citius desiderium tuum ne videas mala quæ inducturus est Deus super hanc domum.* Gerechinus igitur per eam certior de obitu suo factus maiorem quam alias de ipsa opinionem concepit, & quid ab ea didicerat fratribus communicauit, & simul domui suæ disposuit; postmodum corporis compedibus dissolui & esse cum Christo ardenterepetiit. Morte appetente exaratam tribus duntaxat literis vidit scripturam P. O. & T. eamq; coram adstantib. hunc in modum est interpretatus: Veniendum mihi & festinandum non tamen soli, trium comitatu gaudebo: Petrum, Olaum & Tordonem hæc denotant literæ. Quibus vocatis anima illa sanctissima carnis soluta vinculis in coelum transuolauit. Illi vero eiusdem Ordinis nominati fratres intra octiduum omnes per mortem in vitam sempiternam Gerechinum subsecuti anno salutis millesimo trecentesimo quadagesimo quinto.

De eo lib. 4. reuel. S. Brig. c. 121, Extrau. c. 55. & in vita S. Brig.

*Scrupulus illi
eximitur vi-
dens S. Brigit-
tam è solo at-
tollit.
Oraculum de
S. Brigitta.*

*Discit ab ea-
dem sui obitus
diem.*

*Idem tribus
suis symystris
decorum obitu
indicat.*

ALGO.